R. Valde honorandus est beatus iohannes qui supra pectus domini in cena recubuit. Cui christus in cruce matrem virginem virgini commendavit. V. Mulier ecce filius tuus ad discipulum autem ecce mater tua.

Iohannis equidem inter alias virtutes magnitudo signorum hec fuit. Mutavit in aurum silvestres frondium virgas. litoreaque saxa in gemmas. Item gemmarum fragmina in propriam reformavit naturam. Viduam quoque precatu populi suscitavit. et redivivum iuvenis corpus remeante anima reparavit. Bibens haustum letiferum. non solum evasit periculum. sed et eodem prostratos poculo. in vite reparavit statum. Hic autem sexagesimo septimo anno post passionem domini salvatoris. sub traiano imperatore longo vetustatis senio fessus. cum diem transmigrationis sue imminere sentiret. effodere sibi iussit sepulchrum. atque inde valedicens fratribus facta oratione vivens sepulchrum introivit. Deinde in eo tamquam in lectulo requievit. Unde est ut eum vivere quidam asserant. nec mortuum in sepulchro. sed dormientem iacere contendunt. Maxime pro eo quod illic terra sursum ab ymo scaturiens. et superficiem sepulchri conscendat. et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora pulvis ebulliat.

R. In illo die suscipiam te servum meum et ponam te sicut signaculum in conspectu meo quoniam ego elegi te dicit dominus. V. In tribulatione invocasti et exaudivi te et liberavi te. Quoniam.

Audi fabulam. Sermo sancti eusebii episcopi.

Audi fabulam sed rem gestam de iohanne apostolo: et memoriis omnium traditam. Cum post tyranni obitum de pathmos insula ephesum rediret. rogabatur etiam vicinas illustrare provincias. quo vel ecclesias fundaret. in quibus non erant locis vel in quibus erant. et sacerdotibus ac ministris instrueret. secundum quod ei spiritus sanctus indicasset. Cum igitur ad urbem quandam venisset haud longe positam omnibus ecclesiasticis officiis sollempniter adimpletis. vidit iuvenem quendam validum corpore et vultu elegantem. sed et animo acrem nimis. dixitque ad episcopum qui nuper fuerat ordinatus. Hunc tibi summo studio commendo. sub testimonio christi et totius ecclesie. Tunc vero episcopus in domum suam suscepit iuvenem commendatum. et cum omni indulgentia enutrivit. amplectitur et fovet. ad ultimum baptismi gratiam ei tradidit. Post hec presbyter iam velut confidens gratie qua fuerat munitus: paulo indulgentius iuvenem habere cepit. Sed ille ubi matura libertate potitus est. coniunctus per equevos suos quibus luxus et desidia cordi est. amare vicia et corrupte vie tramite incedere perdocetur. Et primo quidem convivancium illecebris decipitur: inde nocturnis eum furtis socium sibi participemque consciscunt. post hec iam ad maiora flagicia protrahunt. Interea sensus iuvenis instituebatur ad scelera. et quia erat acer ingenio. sicut equus insistens et validus. recti itineris lineam derelinquens. rectore contempto. rapido cursu totus fertur in preceps. ita succedentibus sibi malis. ut quoque adeo sibi perstitutam salutis oblivionem acciperet. Dedignatur iam de parvulis cogitare. grandia queque molitur. et illos quos magistros habuit discipulos facit. et exulis latronum turmam quibus ipse dux preesset et princeps violentius instituit. Elapso itaque tempore invitatur iterum iohannes ad prescriptam urbem. Et cum cetera quorum gratia advenerat ordinasset. age inquit o episcope. repositum representa. quod tibi christus et ego plane commendavimus ecclesia teste quam regis. At ille obstupuit putans

Finland 1567 N:o 4

a se iohannem aliqua inquirere que non dedit. Quem iohannes obstupescentem et hesitantem uidens. iuuenem inquit illum a te quero. et animam fratris. Tunc grauiter suspirans senior. et in lacrimis resolutus ait. mortuus est. R.

Qui uicerit faciam illum columpnam in templo meo dicit dominus et scribam super eum nomen meum et nomen ciuitatis noue ierusalem. V. Vincenti dabo edere de ligno uite quod est in paradyso dei mei. [illegible]

A. Inferuentis olei [illegible] iohannes apostolus diuina se protegente gratia ille sus exiuit. Omnis gentes.

Propter insuperabilem euangelizandi constantiam exilio relegatus diuine uisionis et allocutionis meruit crebra consolatione releuari. V. Exaudi deus deprecationem. A. Occurrit beato iohanni ab exilio reuertenti omnis populus uirorum ac mulierum clamantium et dicentium benedictus qui uenit in nomine domini. V. Exaudi deus orationem.

V. Constitues eos principes. te. [illegible]

Quomodo inquit iohannes mortuus est uel qua morte? Deo inquit mortuus est. quia pessimus et flagitiosus euasit. et ad ultimum quia latrocinium aggressus est. Et nunc quendam montem cum multa turba latronum obsidet. Audiens autem hec sanctus apostolus. ueste continuo qua erat indutus scidit. et cum ingenti gemitu feriens caput suum. bonum inquit te custodem fratris anime dereliqui. Sed iam nunc mihi equus paretur. et dux itineris. Et confestim ascendens ab ipsa ecclesia. quantocius properabat. Cumque peruenisset ad locum. attinetur ab his latronibus qui custodias obseruabant. Sed cum ille neque effugere neque prorsus declinare uellet quam potuit ingenti tamen uoce proclamauit. Quia ad hoc ipsum ueni. adducite me ad principem uestrum. Qui cum uenisset armatus. eminus agnito iohanne apostolo. pudore actus in fugam uertitur. Ille equo post eum emisso confestim insequitur fugientem. etiam etatis oblitus simul exclamat. Quid fugis fili patrem tuum. Quid fugis fili inermem senem. Miserere noli timere. adhuc habes spem uite. Ego christo reddam rationem pro te et pro anima tua. certe etiam mortem pro te libenter excipiam. sicut et christus pro nobis dabo animam meam pro anima tua. Sta tantum et crede mihi quia christus me misit ad te. Audiens autem perterritus iuuenis restitit. ac uultum in terram demisit. atque arma que in manibus habebat proiecit. Tum deinde tremefactus flebat amarissime. Et accedens ad senis genua prouolutus. gemitibus et ululatibus quibus poterat satisfaciens. uberrimis lacrimarum suarum fontibus iterum baptizabatur. occultans solam dexteram suam. Apostolus uero iusiurandi sacramento se a domino impetraturum ueniam pollicens. simulque genibus eius prouolutus. ipsa eius dexteram ex cuius cedis conscientia torquebatur. tamquam iam per penitentiam purgatam deosculans reuocat ad ecclesiam. Indesinentes igitur pro eo apostolus orationes fundens. et cum ipso pariter ducens crebra ieiunia. indulgentiam a deo quam ei pollicitus est expetebat. Variis etiam sermonibus consolationum exterritum eius animum mitigabat. prebens per hoc magna exempla uere penitencie. et documentum ingens noue regenerationis ostendit. ne prius absistat. quam eum postea uirtutibus perfectum in episcopum elegit. quatinus